

§. IV. Pervenimus jam ad Causam Efficientem, quæ & principalis est & instrumentalis. Principalis est autoritas publica, quæ necessario requiritur ad Scripta Symbolica. Hæc autem competit Ecclesiæ, & exercetur ejus nomine à Magistratu per Doctores illius. Cum itaque Symbola nostra jussu Principum & Statuum Protestantium per Theologos orthodoxos sint confecta, ut ipsi hoc in *Pref. Lib. Concord.* testantur, dum suam suorumque Confessionem appellant, vid. *Dn. Pref. l. c. p. 11.* summo jure scripta publica utpote autoritate publica edita audiunt; magnumque ideo discrimen inter hæc & illas confessiones, ad quas edendas unusquisque paratus secundum admonitionem *Petri I. Ep. III, 15.* ἔτυμοι δὲ αἰὲν πρὸς ἀπολογίαν παντὶ τῷ αἰτῶντι ὑμᾶς λόγον περὶ τῆς ἐν ὑμῖν ἐλπιδὸς esse debet, & quas unus vel alter in Casu Confessionis edere solet. Causa vero minus principalis sunt Doctores in Ecclesia, qui materiam pertractandam suo stylo moderari & proponere debent, ita tamen, ut Magistratus postmodum proposita approbet, eisque subscribat.

§. V. Absoluta definitione paucis etiam attingimus divisionem. Sunt ergo accurate nobis iterum præeunte *Dn. Pref. l. c. p. 16.* Scripta Symbolica ratione Essentiæ vel orthodoxa vel heterodoxa, eodem prorsus modo, quo Ecclesia ipsa dispescitur. Orthodoxa sunt illa, quæ è verbo Domini sunt desumpta, & ex fundamentis sacrarum Literarum solida exstructa. Hinc quidem hi libri conveniunt, quoad materiam cum verbo Dei, & illi nihil contrarium continent, nec in hujus materiæ Causa efficiente discrepant: æque enim illud, quod in orthodoxis libris Symbolicis proponitur confitendum, à Deo est, quam illud, quod in Sacris credendum. Forma autem

tem